

Epistola dedicatoria (Fr. Lucas) libello Notarum ad varias lec-
tiones praefixa.

1 Ill^{mo} et R^{mo} in Christo Patri ac Domino, Roberto Bellarmino,
 S.R.E.Cardinali, Archiepiscopo Capuano, Franciscus Lucas.
 Cum, superioribus annis, Ill^{me} ac R^{me} Cardinalis, tractandis sa-
 cris evangeliis incumberem, et veterem vulgatamque versionem lati-
 nam, una cum graeco fonte ob oculos propositam, explicandum mihi
 sumerem: putavi mearum partium esse, ut et varias omnes lectiones,
 sive graece, sive latine occurrentes, annotarem, discuterem, exami-
 narem; denique eam quae ~~genuina~~ esset, sive fontis graeci, sive ver-
 sionis latinae, quoad eius a me fieri posset, indicarem, et a spu-
 10 riis distinguerem. Et quamquam breviter id et compendiose, notisque
 potius quam multis verbis, conarer praestare: tamen ne commentarius
 quem ita fabricabar, ut unum ubique simplicissimum ac verisimillimum
 loci sensum ponere ac prosequi contentus essem, lectionum varia-
 te oneraretur; statui, libellis duobus ad calcem commentarii additis,
 15 seorsum id agere, praesertim cum Suae Sanctitatis mentem esse intel-
 ligerem, ut lectiones varias ad marginem ipsius sacri textus minime
 annotarentur; duobus inquam libellis, uno de graecis, altero de la-
 tinis varietatibus agente. Vidi mus saepe libros, praesertim sacros,
 studio nec parvo, nec infelici, a notariorum vitiis emendatos, dum
 20 frequenter excuduntur, brevi in eadem vicia relapsos, inscitia ple-
 rorumque, veritatem p[re]a inolitis vitiis mox reiicientium. Id ergo
 ne similiter contingeret sacris textibus, quos in commentario mihi
 proposueram explicandos, graeco regiorum, et latino Sixtinorum bi-
 bliorum (quibus non facile exstant alii eiusdem generis integriores)
 25 ne, inquam, hoc idem eis accideret, hoc est, dum frequenter recudun-
 tur, in antiqua iamque semel sublata vicia relaberentur, et, si qui-
 dem accideret (quod profecto fieri coeptum observavimus) facile es-
 set restituere: visum est mihi consultum, brevibus indicare rationes

/ emendationum quae insunt textibus istis; aut si non rationes, certe
 distinctiones genuinae lectionis a spuria, quando res clara est:
 postremo sicubi dubitandi causa remanet, an illorum lectio sit ge-
 nuina germanaque, sive fontis sive versionis vulgatae Scriptura, ni-
 hil quidem in illis mutare, sed annotare dumtaxat quid inveniam, re-
 linquere autem Suae Sanc^{tis}, et eorum quibus illa hoc commiserit
 auctoritati, ut loca, si quando videbitur, mutant: nec enim cuiusvis
 esse debet mutare pro arbitrio. In his igitur duobus libellis, uno
 graecas, altero latinas evangeliorum librorum varietates explicante,
 10 haec mihi servatur methodus, ut primū proponam, in graecis quidem,
 eam lectionem quae est Regiorum, in latinis autem, eam quae est Six-
 tinorum bibliorum; deinde adferam eam quae ab illa variat, nec ad-
 feram eam quae ab illa varias, nec adferam tantum, verum etiam quo
 distinguatur describam, quando differentia exigua est 'ut saepe est)
 15 ne vel in hoc ipsum correctorium irrepat error (quale exemplum in
 quibusdam manuscriptis correctoriis vidimus) postremo, si quidem ni-
 hil verisimilitudinis habeat, uno eam verbo reprobem; si quid vero
 habeat, id paucis exponam. Quanquam vero huiusmodi quid non ita pri-
 dem praestare conatus sim, edito libello de Romanis correctionibus,
 20 adhibitis in latinis illis, Sixti Quinti iussu recognitis libris:
 hic tamen aliquid amplius, et illud idem plenius, praestare conor,
 in quatuor evangeliis, non latinis solum, verum etiam graecis. In
 hoc porro negotio, etsi oculorum animi mei caliginem fateri merito
 debeam, eo tamen maiorem mihi fidem spero adhibendam, quo diutius, a
 25 iuventute inquam (quod tu Ill^{mæ} Domine nosti) in eo versatus sum, et
 accuratius olim ac prolixius simile argumentum tractari, notationi-
 bus in varias bibliorum lectiones editis. Quidquid autem illud est,
 quod hic a me praestitum est, ut vehementer cupivi probatum esse iu-
 dicio R^{mæ} P^{tis} Tuae: ita volui Ill^{mæ} D. T. nomini esse dedicatum,
 30 tres potissimum ob causas: unam, ut exstaret mnemosynon animi mei
 erga te grati, quod me olim humanitas tua, cum Lovanii theologiae

/ professorem ageret, admittere dignata fuerit ad familiaritatem, et
 Romam quoque reversa non minimis benevolentiae argumentis prosequi.
 Alteram, quod celebritas doctrinae tuae, toto orbe terrarum fulgen-
 tis, qua fit, ut catholicae quidem ecclesiae lumen, haereticorum au-
 tem huius temporis malleus habeatis et sis, tutum me reddere pote-
 rit ne vel haeretici scriptis meis abuti, vel catholici non visa dam-
 nare audeant (qua de re conquerendi materiam mihi praebet Chronolo-
 gia Genebrardi anno 1585 edita) nemo enim te solidius potest iudica-
 re, quam non haec ad graecae latinae editiones, sed ad librario-
 rum, qui eas editiones negligentius descripserunt, errores auferen-
 dos et exterminandos colligantur: ut praeteream, quod maior varie-
 tatum pars, in verbis potius consistat quam in rebus, magisque ad ex-
 actam quam ad necessariam faciat corrigendi rationem. Postrema cau-
 sa est, ut si prudentia tua iudicet, hoc scripto a me adferri, quod
 15 ad graecum latinumve evangeliorum textum, exactius etiam quam hacte-
 nus a librariorum vitiis vindicandum, facere possit, ipsa, si dignum
 censeat, ad suam sanctitatem, a cuius ut consiliis, referat: ut illi-
 us auctoritate, quod minus emendatum hactenus esse posset, pperfec-
 tiori integritati ac nitori restituatur. Dignaberis igitur, ill^{me}
 20 et R^{me} Domine, hoc munusculum aequi boni consulere, et grati memo-
 risque animi monumentum hilari vultu accipere: interea ego non omit-
 tam, quin Dominum Deum sacrificiis precibusque solicitem, ut te diu
 nobis et ecclesiae catholicae servet incolumem. Audomaropoli Arthe-
 siorum, pridie nonas septembbris, anno quinto a sexcentesimo et mil-
 25 lesimo.

Notarum ad varias lectiones in quatuor evangeliis occurrentes li-
 bellus duplex: quorum uno graecae, altero latinae varietates expli-
 cantur: auctore Francisco Luca Brugensi, Ecclesiae Cathedralis Audo-
 maropolitanae theologo et decano. Antwerpiae, ex officina Plantii-
 30 niana, apud J. Moretum, 1606.